This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ls
5
440.9



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Sa 5.440.9

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

1 Jan., 1902.

Zu der

öffentlichen Prüfung

einiger Klassen des

Real-Gymnasiums zu Nordhausen,

welche

Freitag, den 23. März

veranstaltet werden soll,

sowie zu der

hiermit verbundenen Ausstellung der künstlerischen Leistungen der Schüler

ladet ergebenst ein

Dr. Hermann Wiesing,

Direktor.

Inhalt:

1. Quibus in rebus Sallustius Thucydidem respexerit aut respexisse credatur. Vom wiss. Hülfslehrer Robert Schild.
2. Schulnachrichten von Ostern 1887 bis Ostern 1888, vom Direktor.

Nordhausen,

Druck von C. Kirchner's Buchdruckerei (Inh.: F. C. Schmülling).

1888.

1888. Programm № 252.

Se 5.440.9

HARVARD COLLEGE
JAN 1 1902
LIBRARY

Salisbury fund.

Quibus in rebus Sallustius Thucydidem

respexerit aut respexisse credatur.

Sane perdifficile est certo dijudicare, quatenus quibusque in rebus Sallustius aliorum scripta respexerit. Etenim viri docti hodie de Sallustii imitatione, si qua statuitur, partes in duas abire videntur, alteri, qui priscorum illorum Latinorum et inprimis Catonis, alteri qui Thucydidis auctoritatem ad viam rationemque dicendi Sallustii aliqantum valuisse sibi persuaserunt. Quam suam sententiam ut firment quum veterum testimoniis nitantur, videamus quid illis comprobetur. Atque quantum attinet ad Catonem, Suetonius Ill. Gramm. c. 15 mentionem facit Pompei Lenaei, qui non dubitat Sallustium nominare „lastaurum et lucronem et nebulonem propinionemque et vita scriptisque monstrosum, praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem". Quibus Lenaei verbis haud ita multum tribuimus, nam quum Sallustius Caesari beneficiis obstrictus acerrime in Pompejum invectus dixisset (Il. 41) „oris eum improbi, animo inverecundo fuisse" facile cogitari potest libertum patroni studio et admiratione captum adversario patroni causis non justis obtrectavisse Majoris est momenti quod Quintilianis Inst. Orat. 8. 3, 29 e cujusdam auctoris epigrammate haec tradit:

„Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Jugurthinae conditor historiae".

Quo de epigrammate quidquid sentis, certe non repugnat Asinii Pollionis judicio (Suet. 1. 1 c. 10) quo Sallustii scripta ut „nimis priscorum verborum affectatione oblita" vituperat. Ut jam haec quae commemoravimus veterum testimonia non ita valere posse concedamus ut Sallustium Catonis et priscorum Latinorum ubivis rationem habuisse appareat, id quidem ex eis elucet tribuendum esse aliquid antiquis. Sed quaeritur quantum illis Sallustius debeat. Quum jam paucae tantum et Catonis et antiquorum reliquiae nostram ad aetatem pervenerint, consilium atque rationem, quam in componendis scriptis suis sequebantur, percensere et perpendere non licet. Quamquam ex testimonio Ciceronis, qui Catonem in eodem numero atque annalium priscos illos scriptores habet (vide Cic. de or. 2, 51: „Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarant ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso" et de leg. 1, 6: „post annales pontificum maximorum . . . si aut ad Fabium aut ad . . Catonem aut ad Pisonem aut ad Vennonium venias) eum viam longe aliam atque Sallustium ingressum esse dilucide perspicimus. Etenim Sallustii virtutes in historia conscribenda maxime vel in eo enitent, quod annalium tenuem jejunamque formam aspernatus quo quidque consilio sit gestum et quid inde redundaverit animis legentium perspicue snbicit, id quod annalium scriptoribus illis est alienissimum. Nihil igitur est, cur Sallustium hac in re Catonis vestigia pressisse existimemus. Aliter autem sermonem Sallustianum intuentibus nobis indicandum est. Nam etsi Sallusti

consuetudo loquendi non tantum redolet antiquitatem, quantum vulgo creditur, tamen verba illa obsoleta et antiquae vocabulorum formae et ratio ea scribendi prae se ferunt signum antiquitatis. Atque talia de industria Sallustium adhibuisse verisimillimum videtur. Quum enim mores suae aetatis magis magisque corruptos jam effecisse videret, ut civitas labefactaretur, fieri non potuit quin respiceret ad pristinum illud tempus, cui viri virtute insigni praestantes non deerant. Omnium autem nemo vita scriptisque imaginem antiquae probitatis tam veram tamque expressam praebuit quam Cato. Quem quoniam admiratus est, quasi suae aetatis eum puderet, orationem Catonis austeram atque solidam quam mollem ornatamque sequi maluit aequalium.

Nihilominus exstant multa, quae, tametsi Sallustiana quaedam vindicas Catoni, ex sola priscorum imitatione explicari non possint. Nonnihil enim Sallustius in structuris formandis adeo ab usitato genere dicendi recedit, ut, nisi repetis auxilium a Graecis, non habeas qua ratione explanes. Praeterea autem quia Sallustium operis totius consilium et artem historiae componendae illam singularem ex suo sumpsisse vix credibile est atque quum Catonem hujus quidem rei auctorem non fuisse satis pateat, quaeramus necesse est, num certa vestigia Graecorum, quos in litteras Romanorum vel maxime sua contulisse scimus, in Sallustii quoque scriptis conspiciantur. Liceat igitur nobis enumerare judicia veterum, qui de Sallustio Graecorum et inprimis Thucydidis imitatore aliquid proferre viedentur. Primo jam inspicias Vellei II, 36, 2, qui Sallustium appellat Thucydidis „aemulum“ qua in re magnopere dolemus, quod ne uno quidem verbo addidit, qualis fuerit haec aemulatio.

Neque profecto magis rem expedit Quintilianus quum dicit (Instit. Orat. 10, 1, 101). „At non historia cesserim Graecis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear“. Nam ex eo quod Sallustium tanti aestimavit quanti scriptorem illum Atticum, de imitatione aliquid certi minime conjicere possumus. Accuratius Seneca (Suas p. 35, 11) utrumque in eam consuetudinem venisse exhibet, ut, quum de morte viri alicujus clari retulisset, ejusdem viri vitae morumque descriptionem annecteret. Atque idem auctor (Controv. 8, 13. p. 249) Sallustium perinde atque Thucydidem brevitatis studiosum existimat, sed illa quam laudat sententia: „*αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσχιάσαι τὰ ἑαυτῶν ἁμαρτήματα*“ non est Thucydidis sed Demosthenis. Suetonius autem (Gramm. 10) Sallustii sermonis proprium fuisse commemorat, ut audacter uteretur translationibus. (Vox „translatio“ non aliam vim habet quam Graecum illud *μεταφορά*). Atque huc etiam pertinere videntur, quae legimus apud Quintilianum 9. 3, 17: „Ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima quale est vulgus amat fieri“. Addit denique idem scriptor (10, 2, 17) Sallustio pariter atque Graecis inprimisque Thucydidi obscuritatem quandam opprobrio vertendam esse quum scribit: „Attici praecisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydidem superant.“

Quamquam his omnibus quae veterum attulimus testimoniis Sallustium nonnulla Thucydidi debere satis constat, tamen quatenus quibusque in rebus ab Attico auctore pendeat, nostra demum aetate accuratius perquisitum est. Atque primus de Sallustio Thucydidis imitatore uberius disseruit Poppo (in prologom. I a 372—81, IV, 51—53) sed in eo vir sagacissimus aliquotiens a vero aberrasse mihi videtur, quod, quaecunque amborum vidit communia, Sallustium mutuatum esse contendit. Multo jam magis de hac quidem quaestione Dolega meritus est. Qui non solum utriusque locos similes summa cum diligentia congessit, verum etiam, qua ratione Sallustium in imitando ductum putaret, dilucide exposuit.

Cui disputationi nonnulla Mollmannus adjecit. Illi vero viri docti quum id maxime appeterent, ut aperirent, quomodo Sallustius vel consilium operis Thucydidei sequeretur, vel sententias transferret, res grammaticas breviter tantum perstrinxerunt. Quibus operam dederunt Lawsius, Vech-

nerus, Badstuebnerus, Robolskius, Usenerus, alii. Hi autem quoniam mirum quantum inter se discrepant, etiam perpendenda sunt judicia, quae de hac re commentariis Gerlachii, Herzogii, Kritzii Jordani, Dietschii continentur. Jam haec omnia respicientibus nobis quaestio sic movebitur, ut in altera parte de imitatione Sallustii, qualem in consilio sententiisque transferendis viri docti agnoscere sibi videantur, in altera parte de rebus grammaticis, quatenus ad Thucydidis exemplum revocentur, disseramus.

Thucydides haud dubie primus apud Atticos res non modo narrat, sed etiam penitus animum intendens ad mores ac tempora, quae describit, eventus cum causis prudenter connectit et quid in quaque re maximi sit momenti paucis sed nervosis lineamentis exponit. Eadem fere ratione primus apud Romanos Sallustius libros suos componere studebat. — Ac forte inter utriusque vitam similitudo quaedam intercedit. Amborum enim aetas incidit in tempora illa luctuosa, quibus patriae domesticis externisque periculis concuterentur. Pariter etiam depravatus civitatum status effecit, ut uterque, quum primo rem publicam capessivisset magnosque ad honores ascendisset, a negotiis publicis postea se removere atque otium in libris componendis consumere constitueret. Inspicias velim Thuc. V. 26, 5—6 (ed. Classen) „*ἐπεβίων — αἴσθεσθαι*“ et Cat. 4. 1, 2: „Igitur — libererat“ Hinc patet exprimi Sallustium causam afferre, cur operam in historia scribendi posuerit et inprimis cur ad historiam recte scribendam ipsi sibi visus sit maxime idoneus. Quod idem fere Thucydidem de consilio scribendi praefantem vides. Ceteroquin quantum ex Thucydidis prooemio Sallustius transtulerit, paulo infra disputabimus.

Sunt porro qui digressionibus illis, quas Sallustius saepius libris suis inseruit, Thucydidis auctoritatem indicari credant. Eae vero cum ubivis tum in scriptis antiquorum inveniuntur. Atque fert rerum natura, ut historici, si quidem vel loca vel homines accuratius aliquanto depingunt, interdum a re proposita digrediantur. Quam ad rationem praeter cetera maxime varietatis studio eos impelli vix est quod moneamus. Minime igitur ex re ipsa concludere cogimur Sallustii digressiones, quamvis crebrae sint, indicium imitationis aut Thucydidis aut aliorum exstare. Prorsus aliter autem nobis judicandum erit, si argumentum quoque harum digressionum (id quod hic jam pro certo affirmare ausim) originem prodiderit transmarinam.

Denique dubium non videtur, quin Sallustius orationes libris intextas nonnihil ad Thucydidis exemplum conformaverit. Libenter concedimus hanc inserendi quidem consuetudinem solum Sallustium et Thucydidem nequaquam adamasse, Cato enim jam ei mori indulsit (conf. Cicero Brut. 89: „M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit, quam orationem in Origines suas rettulit“) at tamen quoniam haud raro sententias, quas Thucydides protulit, easdem in orationibus Sallustii repperiri, figuras, formulas structuramque verborum simili modo usurpatas esse apparet, sane optimo jure hac in re Sallustium Thucydidis vestigia pressisse contendere licet.

Sed transeamus tandem ad sententias, quas Sallustius in usum suum contulit, recensendas. — — Ac primum de prooemio disputandum erit. Thucydides ad opus suum sic aggreditur, ut qua de causa potissimum bello Peloponnesiaco describendo se dediderit, paucis aperiat. Deinde a principio rei publicae suam usque ad aetatem res a Graecis gestas breviter perlustrat. In eundem modum Sallustius initio conjurationis Catilinariae et belli Jugurthini exorditur. Conf. Jug. 5, 1: „Bellum scripturus sum primum quia magnum et atrox fuit“ et Cat. 4. 3, 4: „De Catilinae conjuratione absolvam, nam id facinus in primis ego memorabile aestimo cum Thuc. 1, 1, 1: „*Θουκυδίδης ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων — ἐλπίσας μέγαν τε ἐσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον*“.

Hac in re Sallustium Thucydidis prooemium ante oculos habuisse veri simile videtur. Quae nostra suspicio magis etiam firmatur si haec reputamus. Cat. 2, 2: „Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii coepere urbes subigere“ et Thuc. I. 13, 6: „*καὶ Ἴωσιν ὕστερον πολυγίγνεται ἐπὶ Κύρου*“.

Hanc consensionem certe miram esse non negabis, quod, quum omnes, quos nos quidem evolvimus scriptores Latini initium capiant a Romanis, Sallustius a Graecis exorditur. Neque vero, quoniam concentus pertinet vel ad nomen „Cyrus“ quisquam fortuitam hic esse similitudinem nobis persuadebit. Item sententia Cat. 2, 1: „Initio — fuit“ et Thuc. I, 13, 1: „*Τὰ πολλὰ — πατρικαὶ βασιλεῖαι*“ habent quo conferantur. Magis tamen memoratu digni exstant hi loci, quibus Sallustius pari fere modo atque Thucydides res ab antiquis Graecis gestas justo magis laudibus elatas esse profert. De qua re conf. Thuc. I, 21, 1: „*καὶ οὔτε ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες μᾶλλον πιστεύων, οὔτε ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν*“ et Cat. 8, 1, 2: „Atheniensium res gestas, sicut ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia pervenēre ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur“.

Fortasse similitudo primo quidem conspectu levior tibi videtur quam ut de mutatione aliquid certi statuas, at tamen alibi etiam illud „*ἐπὶ μεῖζον κοσμοῦντες*“ (in majus celebrare) ad verbum [qua in re recedit ab usitato genere dicendi] sic translatum videmus, ut hic quoque Thucydidis exemplum agnoscere debeamus idque eo magis quod verba quae sequuntur: „Eorum qui fecere virtus tanta habetur, quantum eam verbis potuere extollere praeclara ingenia“, cum hoc laudationis funebris loco congruere videntur Thuc. I, 35, 1: „*ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ — πιστευθῆναι*“. Reperiuntur autem, qui Sallustii sententiam non tam Thucydidis quam Catonis auctoritatem ostendere arbitrentur. (Vide Deltourium, Schultzium, Bruennertium de Sallustio inprimisque antiquorum imitatore disserentes.) Qua in re nituntur testimonio Flavii Vopisci, qui haec exhibet: „Certum est quod Sallustius Crispus quodque M. Cato et Gellius historici sententiae modo in litteras rettulerunt, omnes eorum virtutes tantas esse quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui unius cujusque facta descripserint“.

Quae virorum doctorum opinio quamquam certe non caret omni probabilitate, tamen parum firmatur. Neque enim Sallustium in componendo libro suo ita versatum esse cogitamus, ut unam atque eandem sententiam ex scriptis et Thucydidis et Catonis depromeret. Quum autem jam magna pars prooemii et maxime cap. 18 originem redoleat Thucydideam, hoc quoque loco paulo tantum distante similitudinem ex Graeco fonte fluxisse suspicari possumus. — Minime vero probandum videtur, quod Dolega formulas „*φαίνεται*“ (Thuc. I, 2, 1) *δοκεῖ δέμοι* (I, 3, 1) *ὡς ἐμοὶ δοκεῖ* (I, 8, 4) *ἀκοῇ ἴσμεν* (1, 4, 1) alias dicit a Sallustio imitatione expressas esse, velut „sicuti ego accepi“ (Cat. 6, 1) „sicuti ego aestumo“ (Cat. 8, 2). Nam ejusmodi formulae tam tritae sunt ut illarum usum ad imitationem referre sit ridiculum. Atque in formulis etiam numeramus quae legimus apud Sall. Cat. 9, 4. — Magis est operae pretium nonnullas partes prooemii conferre cum oratione funebri, quippe quae plurimos contineat locos sententiosos, quorum Sallustius fuit amantissimus.

Inde hanc translationem natam esse manifestum est. Cat. 3, 2: „Dehinc quia plerique quae delicta reprehenderis malivolentia et invidia dicta putant, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea vel uti ficta pro falsis ducit“. Conf. Thuc. II, 35, 2—3: „*χαλεπὸν γὰρ τὸ μετριῶς εἰπεῖν ἐν ᾧ μύλις καὶ δύκησις τῆς ἀληθείας βεβαιοῦται. ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς, ταχ' ἄν τι ἐνδεεσιέρως πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται νομίσειε δηλοῦσθαι ὅτε ἄπειρος ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι διὰ φθόνον εἴ τι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκούοι, μέχρι*

γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἄν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι ὧν ἤκουσε". Pariter utrumque vides mores naturamque lectorum vel auditorum sic depingere, ut alii, si quid exspectationi parum respondet, auctorem invidia commotum esse arbitrentur, alii fidem auctori habeant, quatenus viris collaudatis sibi videntur pares, si minus falso relatum esse conclament. Sallustii verba quam prope ad similitudinem Thucydidis accedant, facile intellegis. Conferas velim „πλεονάζεσθαι διὰ φθόνον" cum „invidia dicta" et „ἐς ὅσον — ἕκαστος ἱκανὸς οἴηται δρᾶσαι" cum „quae sibi quisque facilia factu putat".

Non magis sententia illa: Cat. 6. 5: „Magisque dandis quam accipiundis amicitias parabant" unde profecta sit dubitationem habeat. Conf. Thuc. II 40, 4; „οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους".

Quid vero similitudinis existat, quam Dolega inter Cat. 6, 6 et Thuc II, 40, 3 intercedere contendit, non perspicimus. Ceterum caveas, ne in eum errorem incidas, ut omnia, quae speciem ullam similitudinis praebere videantur, imitatione nata opineris. Quo errore ducti videntur, qui Sallustii verba Cat. 9, 1 „jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat" ad Thucydidis (II, 37, 3: „οὐ παρανοῦμεν — φέρουσι") vel ad Isocratis (Panegyr. 78 p. 56 R.: „Ἥπισταντο — δμονοήσουσιν") exemplum respicere statuunt. Nam etsi sensus, quem hi loci fundunt, non ita differt ab enuntiato Sallustiano, tamen non eo adducimur, ut Sallustium, quasi ex suo prorsus nihil sumere potuisset, ubivis Graecorum scrinia compilasse credamus, praesertim quum ejusmodi sententiae certe fuerint in omnium ore. Omnes enim scriptores, qui tempore quo Sallustius fuerunt — erat autem aetas illa, qua leges ad priscos mores redigendos non jam valebant — simile quid protulerunt, id quod exemplis satis illustrare possumus. Nihil igitur hac in re Thucydidi deberi verisimillimum est. — — Jam perpendamus, num inter Thucydidem et Sallustium talis descriptionis virtutem morumque corruptorum sit consensio, qualem Poppo, Dolega, Mollmannus, alii censent. Ac primum hos amborum locos comparaverunt: Cat. 10. 3—5 „Igitur primo pecuniae — falsos fieri subegit" et Thuc. III, 82, 6—8 „καὶ μὴν κατὰ τὸ ξυγγενές — διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλοτιμίαν". In his utrinsque verbis nulla profecto alia similitudo cernitur, quam quod sicut Thucydides ita Sallustius depravationem morum ex imperii cupiditate, avaritia, ambitione manasse dicit. Atque ejusmodi descriptio si hoc tantum loco inveniretur, non esset, cur Sallustius hac in re Thucydidis aemulus nominaretur. Sed alii nobis occurrunt loci, qui Sallustium totam illam Thucydidis desriptionem inspexisse et inde nonnulla transtulisse nobis persuadeant.

Cui rei maxime est argumento conj. Cat. caput 38, quod tam luculenter Thucydidis auctoritatem prodit, ut mutuationem longius prosequi prorsus supersedeamus. Conf. Thuc. III, 82, 8: „οἱ ἐν ταῖς πόλεσι — τὰς τιμωρίας ἔτι μείζους". —

Minus nobis placet, quod Dolega Hist. I fr. 7 et Hist. I fr. 8—11 ad Thucydidem III, 82, 2 rettulit. Neque magis assentimur iis viris, qui haec Sallustiana Cat. 10, 1: „Cuncta maria terrasque patebant" Thucydidis esse affirmant et hunc laudationis funebris locum laudant: Thuc. II, 41, 4 „ἀλλὰ πᾶσαν θάλασσαν καὶ γῆν ἔσβατον τῇ ἡμετέρᾳ τόλμῃ καταναγκάσαντες γενέσθαι". Nam id quidem cogitari potest Sallustium, quippe qui magnitudinem imperii Romani ingentem breviter perstringere sibi proposuisset, Thucydidis minime memorem (praesertim in re tam trita) casu cum Thucydide congruisse. In medio relinquimus, num haec Sallustii verba Thucydidi vindicanda sint: Jug. 2, 3: „Postremo corporis et fortunae bonorum ut initium sic finis et omnia quae orta occidunt" conf. Thuc. II, 64, 3: „πάντα γὰρ πέφυκε καὶ ἐλασσοῦσθαι".

Quae quodam modo consentire nequaquam infitiamur, at tamen ejusmodi sententiae pervulgatae exstant. Huc accedit quod ambo de sententiarum connexu dissentiunt. Sallustius enim

in hoc belli Jugurthini prooemio locis communibus referto de corporis fragilitate, animi aeternitate disserit. Idcirco quia corpus intereat, quam maxime dicit decēre animum colere. Pericles autem in eo ponit studium, ut animos civium peste fructos erigat. Quare sicut omnium rerum ita etiam hujus mali intestini finem affore sperandum esse exhibet. Alterius igitur sententiam ex animi natura describenda, alterius ex solacio profectam videmus. Utcunque autem res se habet, nullis quidem certis argumentis translationem manifestam esse pervinci potest. Facilius de his utriusque locis, quos Dolega congessit, dijudicare licet: Jug. 7. 5 „et proelio strenuus et bonus consilio, quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet“ et Thuc. II, 40, 3: „*διαφερόντως — ὃ τοῖς ἄλλοις ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει*“. Vide quam accurate verba verbis respondeant. Consonant enim vox „temeritas“ cum voce „*θράσος*“ vocabulum „timor“ cum vocabulo „*ὄκνος*“, verbum „afferre“ cum verbo „*φέρειν*“. Haec mutuationis suspicio magis firmatur, quod Sallustium ab oratione funebri multa repetivisse aliis quoque locis satis elucet. Quapropter quoniam ex eis quae supra commemoravimus exemplis imitationem si minus certam, tamen omnino reiciendam non esse concesseris, saepenumero autem imitatio exstat aperta, Sallustium omnem fere descriptionem discordiarum civilium ad Thucydidis exemplum conformasse nequaquam abhorret a probabilitate. — —

Sed transeamus ad orationes perquirendas, in quibus Sallustii imitatio maxime perspicua esse creditur.

Inprimis memoratu dignum orationis Catilinariae principium est. Vide Cat. 20, 2: „Neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem“. Quibuscum verbis Dolega confert responsionem. Meliis datam: Thuc. V, 113, 1: „*τὰ μὲν μέλλοντα τῶν ὁρωμένων σαφέστατα κρίνετε, τὰ δ' ἀφανῆ — θεᾶσθε*“, ubi miramur, quomodo tam levi, quam hic invenitur, similitudini aliquid ponderis tribui possit idque eo magis quod uterque auctor argumentum premit contrarium. Nam Catilina quia socios laboris militiae non insuetos cognoverat, bono animo seditionis consilium se cepisse exposuit, Athenienses vero Meliis, quia nondum in belli periculis versati essent, ne certis incerta praeferrent, persuadere studebant. Ceterum ejusmodi contraria velut „certa“ et „incerta“ passim reperiri vix est quod moneamus. — Porro haec Sallustii verba imitatione expressa putantur: Cat. 20, 16 „vel imperatore vel milite me utemini, neque animus neque corpus a vobis aberit“. Conf. Thuc. V, 9, 7: „*ἐγώ τε δείξω οὐ παραινέσαι οἷός τε ὢν μᾶλλον τοῖς πέλας ἢ καὶ αὐτὸς ἔργῳ ἐπεξελθεῖν*“. Similiter quidem atque Catilina milites Brasidas de pristina fortitudine admonet et victoribus praemia victoriae, victis quae cladem sequi soleant, ostendit. Ambo etiam quo magis animos militum inflamment, ipsos et ducis et militis officia se praestituros esse promittunt. Nihilominus tales cohortationes, quippe quae saepissime apud historicos exstent, ad imitationem referre dubitamus. Multo certius ex orationibus a Diodoto (Thuc. III, 42—48) et a Caesare (Cat. 51) habitis aemulandi ratio Sallustii perspicitur. Quarum similitudinem in hoc constare Poppo Prolog I pag. 380 dicit: „uterque poenam capitalem reorum non ita deprecatur, ut a culpa eos liberare conetur, sed, si supplicium sumatur, ipsis judicibus aliquando noxium et poenam qualemcunque crimini, de quo agebatur, non aequalem neque ad id in posterum prohibendum satis validam fore conantur demonstraret“. Quamquam illam similitudinem, quam Poppo credit, re vera non intercedere Mollmannus recte observavit. Is enim vir doctus (p. 9) Diodotum in sententiis quas protulit argumentandis a Caesare differre dilucide explanavit. Etenim Diodotus supplicium ut nimis usitatum

dissuadet, Caesar autem monet, ne novum poenae genus decernatur. Praeterea Diodotus de seditionis quidem auctoribus supplicium sumendum esse affirmat, Caesar vero id maxime petit atque laborat, ne quispiam civium Romanorum interficiatur. At tamen multa sunt, quae mutuationis signum aperte prae se ferant. Optimo jure Mollmannus (p. 10) utriusque orationes pari fere modo dispositas esse animadvertit. Quae consensio luculentius etiam cognoscitur, si singula perpendis. Conf. Cat. 51, 1 cum Thuc. III, 42, 1 et Cat. 51, 8 cum Thuc. 45, 3. His omnibus in rebus orationum sententiae, color, dictio tam similes sunt, ut Sallustii imitatio si unquam hic sit manifesta. —

Facile in eam opinionem adducimur, ut Sallustium, quum Diodoti orationem magna ex parte transferret, orationem quoque Cleonis, qui Diodoti sententiam impugnavit, respexisse existimemus. Neque vero quidquam certi hac in re statui potest. Nam illis quae Dolega affert exemplis sententia parum comprobatur. Conferendos hos locos censet: Cat. 52, 6: „Non agitur de vectigalibus neque de sociorum injuriis, libertas et anima nostra in dubio est" et Thuc. III, 39, 7: *Ἡμῶν δὲ πρὸς ἑκάστην πόλιν ἀποκεκινδύνευται τά τε χρήματα καὶ αἱ ψυχαί*". Quam similitudinem fortuitam exstare nobis persuasum est. Praeterea Thucydides et Sallustius de sententiarum connexu inter se discrepant. Etenim Cato rem de qua deliberetur gravissimam esse arbitratur, quum non vectigalia, quae prae vita nihili aestimet, in dubio sint, sed ipsorum vitae, quibus Catilina sociique ejus perniciem machinentur, Cleon autem summa cum severitate animadvertendum esse dicit, quoniam praeter vitam pecunia, quam impenderint, periclitetur. — Prorsus reiciamus oportet Dolegae opinionem, qua Sallustium haec Thucydidis verba: Thuc. III, 40, 2. (Conf. Cat. 52, 11) et Thuc. III, 39, 2 (conf. Cat. 52, 24) respexisse credit. Qua in re quantopere vir doctus a vero aberraverit, omnes intellegentes existimatores una voce affirmant. Principium orationis Catilinariae (cap. 58) „compertum ego habeo — fieri" ex adhortatione Niciae translatum esse sunt qui contendant. Conf. Thuc. VI, 68, 1: „*αὐτὴ — στρατοπέδου*". Ut jam in utriusque verbis similitudinem quandam inesse concedamus, tamen num eam jure meritoque revocemus ad imitationem, ambiguum videtur, praesertim quum auctores ambo contrariis argumentis utantur. Namque Catilina quia prae hostibus natura loci, copiis, armis multo inferior erat, unam spem in fortitudine positam esse haud ignoravit. Qua de causa quum milites omnes, qua condicione iniqua premerentur, sentirent, animos oratione longa acuere non jam necessarium existimavit. At vero Nicias, quoniam Athenienses prae hostibus omni apparatu belli superiores essent, ut de victoria dubitare non liceret, satis habuit paucis verbis milites de officio admonere. Adherbalis oratio (Jug. cap. 14) nihil continet quod Thucydideam originem redoleat. Nimirum ejus regis lamentationes in quibus nescio quid muliebre insit, ab animo Thucydidis virili, quo vel in extremis rebus homines verba facientes inducit, alienissimae sunt. —

Quantum in Memmii oratione Sallustius Thucydidis vestigiis insistat, horum locorum comparatione satis illustratur. Conf. Jug. 31, 17: „majus est dedecus parta amittere quam omnino non paravisse" et Thuc. II, 62, 3: „*αἴσχιον δὲ ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι ἢ κτωμένους ἀτυχῆσαι*". Quam mutuationis suspicionem admodum esse probabilem cum inde colligi potest, quod Sallustius alibi quoque Periclis orationes in usum suum contulit tum quod Thucydides et Sallustius pari modo in narrationem transeunt. Conf. Jug. 32, 1: „Haec atque alia hujusce modi saepius dicundo populi persuadet" et Thuc. II, 65, 1: *τοιαῦτα δὲ Περικλῆς λέγων ἐπειρᾶτο τοὺς Ἀθηναίους τῆς τε ἐς αὐτὸν ὀργῆς παραλύειν*". Talia in formulis numerari posse concedimus, verum quum haec ipsa formula nusquam fere nisi hoc nostro loco inveniatur, imitatio unde nata sit incerti non sumus.

Restat ut pauca dicamus de Jugurthae (cap. 10) et Phocionis orationibus (Thuc. II, 89), quarum similitudines aperte indicari Mollmannus contendit. Quod quo magis probaret, totam Sallustii

orationem uno tenore scripsit et similia juxta posuit (v. p. 11, 12). Hac in Phocionis et Jugurthae cohortatione quamvis multa consonent, tamen dubitamus, num dedita opera Sallustius Thucydidis exemplum secutus sit. Etenim quam facile fieri possit, ut historiarum scriptores, si quidem duces apud milites concionantes faciunt, non modo iisdem sententiis sed etiam iisdem argumentis utantur, ex comparatione omnium orationum, quas apud Caesarem, Livium, Sallustium, Tacitum legimus, intellegitur. —

Clarius originem prodit Graecam oratio Lepidi. Quam cum Corinthiorum oratione congruere Mollmannus recte docuit. Vide Thuc. I, 68, 1 et Lep. Hist. lib. I. Corinthios in hac oratione id maxime spectare apparet, ut Lacedaemonios periculi quod imminebat, commonefacientes ad bellum Atheniensibus inferendum commoveant. Item Lepidus populo Romano persuadere studet, ut libertatis pristinae memor Sullae dominationi finem faciat. Quam in Lepidi orationem etiam haec verba Periclis translata videntur. Thuc. II, 63, 2: „*ὡς τυραννίδα — ἀφεῖναι δ' ἐπικίνδυνον*". Conf. Lep. § 7: „nisi forte speratio — periculosius dimissurum". Atque ex eodem fonte (Thuc. II, 61, 1: *εἰ — μεμπτότερος* fluxisse putamus quae leguntur Lep. 9—10: Illa quies — Quirites. Hos enim quos modo commemoravimus locos diligentius examinantibus nobis tanta et verborum et sententiarum ad singula pertinentium similitudo occurirt, ut hanc similitudinem forte evenisse vix credibile sit. —

Porro imitationis vestigia invenies in Sall. Hist. I fr. 12 conf. Thuc. I, 70. Quod vero denique Mollmannus simillimam descriptionem Atheniensium (Thuc. VII, 71, 2—4) et Zamensium pugnantium (Jug. 60, 1—4) ad mutuationem Sallustii rettulit, probabilitate caret.

Ut jam breviter complectamur, quae certis argumentis adhuc pervicisse nobis videmur, summa haec erit: Sallustius permultis in rebus Thucydidis scripta imitando effinxit. Atque huc maxime pertinent prooemia. Neque id mirum. Quum enim Sallustius in Thucydidis libris volutatus esset, fieri non potuit, quin inprimis initium operis Thucydidei memoriae mandaret. Fert enim rerum natura, ut nos quoque, si quando scriptorem lectitarimus, maxime initium memoria teneamus. Ex eodem imitandi studio discordiarum civilium descriptiones magna ex parte manasse pro certo affirmandum est. Qua in re quantopere exemplar Atticum respexerit, jam inde cognoscitur, quod non solum sententias verum etiam locos communes, qui plurimi in Thucydidis illis discriptionibus inveniuntur, ad verbum transtulit. Atque haec mutuandi cupiditas magis etiam in orationibus Caesaris et Lepidi perspicitur. Quas Sallustium dedita opera imitatum esse quovis pignore contendere possumus. Minus certo de reliquis quas supra perlustravimus orationibus dijudicare licet. Nam etsi multos locos attulimus, qui similitudinem quandam habeant, tamen utrum tales similitudines ad imitationem revocandae sint necne distingui non potest. Saeppissime autem viros doctos in eum errorem incidisse vidimus, ut, quoniam Sallustium multa Thucydidi debere haud ignoraverunt, quaevis utrique similia videbantur, transmarina esse suspicarentur. Quibus in rebus quanta cautio sit adhibenda magis etiam ex altera quaestionis parte apparebit.

Altera pars.

Respiciamus constructionem *κατὰ σύνεσιν* quae dicitur atque inprimis eam, qua subjectum cum praedicato conjungitur. Quae structura apud Sallustium haud infrequens exstat, at tamen apud alios quoque scriptores invenitur. Qua de causa non est, cur eam imitatione ortam esse contendamus.

Audacius Sallustius post collectiva in eodem enuntiato numerum variat, cujus rei haec exempla afferuntur: Cat. 7, 4: „Juventus — simulac — erat — discebat — habeant". Cat. 23, 6: „Nobilitas — aestuabat — credebant —". Quorum exemplorum numerus facile augeri potest, sed quoniam et alii et Cicero (conf. Fin. bon. 3, 11, 39) eam licentiam admiserunt, de auctoritate Thucydidis, quamvis talium constructionum fuerit amans cogitare non licet.

Insolentius paulo S. duobus substantivis praepositione „cum" conjunctis pluralem numerum subicit. Conf. Cat. 48, 1: „Lentulus cum ceteris — constituerant". Jug. 38, 6: „cohors una cum duabus turmis transiēre". Jug. 101, 5: „Bochus cum peditibus aciem invadunt". Hist. frg. 2, 96, 6: „Dux hostium cum urbe Valentia et exercitu deleti". Hunc loquendi usum rarissime invenis et recte Graeter (Münster progr. 1855, p. 9) et Ciceronem et Caesarem, si duo substantiva praepositione „cum" conjungunt singularem numerum adhibere observat, sed quia jam antiquos ab illa dicendi ratione non abhorruisse scimus, iis viris, qui hac in re Thucydidis exemplum conspicuam esse affirmant (conf. Thuc. III, 109: „*Δημοσθένης μετὰ τῶν στρατηγῶν σπένδονται*") assentiri non possumus. Libenter Sallustius in enuntiatis secundariis numerum variat. Conf. Jug. 15: „Jugurtham ab senatu petere — ne putarent". Jug.: 30: „populum monere, ne — desererent." Jug. 78. Jug. 102, 6 et alibi. Sed talia passim apud Livium quoque investigari possunt.

Magis a sermone vulgari S. recedit, quod singulari numero substantivi saepius pluralis pronominum relativorum vel demonstrativorum subicit ut Cat. 17, 7: „si conjuratio — valuisset, facile apud eos principem se fore" Cat. 16, 1: „Juventutem edocebat ex illis" Jug. 13, 8: „nobilitatis, quorum pars". Jug. 33, 6: numeros ex eo numero, qui ad caedem parati sunt". Neque minus mirum videtur, quod S. singularem numerum pronominis cum plurali substantivi antecedentis conjungit, ut Cat. 56, 5; „servitia, cujus magnae copiae concurrebant". Quum autem tales constructiones etiam alii scriptores (conf. Plaut. Capt. 157) non aspernati sint, in sententiam Badstuebneri, qui hanc structuram Sallustii ex imitatione prodiisse docet et hunc locum Thucydideum laudat: I, 80, 3: „*ἀλλὰ τοῖς χρήμασιν; ἀλλὰ πολλῷ ἔτι πλέον τούτου ἐλλείπομεν*"; abire dubitamus.

Eadem fere ratione S. neutro pronominis utitur quum scribit: Jug. 100. 4: „diffidentia futuri, quae imperavisset". Quem locum critici alii aliter sanare studebant. Kritzius lectionem „futurum quae" recipi maluit Gellii testimonium secutus, qui infinitivum „futurum" (fore) apud antiquos hanc vim habuisse credit, ut liber undique et promiscuus esset". Dietschius „futura quae" proponit. Neque tamen est, cur a textu, quem omnes fere codices praebent, recedamus. Recte enim lectio tradita ex Graecae consuetudinis imitatione explicari potest. Putamus enim pro accusativo cum infinitivo genetivum participii „futuri" positum esse pendentem ex substantivo „diffidentia" sicut apud Thucydidem III, 75, 3: „*ἀπιστίᾳ τοῦ μὴ ξυμπλεῖν* et alibi".

Notandum porro est S. adjectiva, participia, pronomina neutrius generis ad masculina referre maxime, ubi singulorum vocabulorum vim indefinitam in unum complectitur. Lege Cat. 3, 4: „audacia largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernatur". Cat. 10, 3: „primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit; ea fuere". Haec structura tam multis scriptoribus usitata est, ut de Sallustii imitatione conicere minime liceat. Licentiae paulo audaciori Sallustius indulget haec scribens: Jug. 41, 1: „otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt". Quem locum Kritzius sic interpretatur, ut relativum magis quam genus grammaticum valere existimet. Huic quem modo laudavimus loco hi annumerandi sunt: Cat. 36, 4: „Domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant". Jug. 75, 6: „ex flumine, quam proximam aquam esse supra diximus". Jug. 18, 11: „ea loca, quae Numidia appellatur". Conf. Cat. 7, 6, Cat. 20, 4. Neque vero haec loquendi consuetudo solius propria est Sallustii. Illa enim locutio apud ejusdem aevi scriptores saepius invenitur, quam ob rem Popponis, Vechneri aliorum de mutuatione suspicio non satis habet firmamenti. —

Memoratu non indignum videtur, quod pronomen neutrius generis ad substantiva diversi generis refertur, ut Cat. 1, 2: „sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est — alterum nobis cum dis — alterum cum bellis commune est." Sed non solum in pronominibus, verum etiam in adjectivis et participiis utitur structuris audacibus. Legimus Jug. 52, 4: „plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt". Conf. Cat. 20, 2: „Ni virtus fidesque spectata mihi forent". Quam licentiam — nam regula est, ut, ubi nomina sunt ejusdem generis, praedicatum idem genus atque nomen usurpet, probae Latinitatis scriptores rarissime tantum admittunt. Hinc autem non sequitur, ut ad tales structuras conformandas Thucydides aliquantum contulerit. —

Praeterea S. haud infreqnenter verbum ad praedicatum attrahit, ut Cat. 25, 3: „Sed ei cariora semper omnia quam decus atque amicitia fuit". Conf. Jug. 74, 3: „Magis pedes quam arma tutata sunt". Tales constructiones, quae profecto aliis quoque scriptoribus non ita sunt inusitatae, qua re viri docti in Graecismis numeraverint, prorsus non intellegimus (conf. Zumpt § 369).

Jam transeamus ad adverbia, quae contra vulgarem loquendi constuetudinem cum verbo „esse" conjuncta inveniuntur. Huc pertinent adverbia „frustra" Jug. 7, 6. 61, 1. 73, 7. 93, 1. 112, 2. 85, 6. Hist. 3, 61, 9. „tutius" Jug. 14, 11. „laxius" Jug. 87, 4. „abunde" Cat. 21, 1. 58, 9. Jug. 63, 2. „proxume" Jug. 19, 4. 18, 11. „proprius" Cat. 11, 1. „post" Cat. 23, 7. „contra" Jug. 85, 22. Neque tamen ejusmodi licentiae uni Sallustio tribuendae sunt. Etenim non solum apud Catonem sed etiam apud Ciceronem (cfr. Dejot. 7, 19: „quum in convivio comiter et jucunde fuisses et apud Livium (II. 25, 2: „ita frustra id inceptum Volscis fuit) exempla similia exstant.

Magis mirum videtur, quod S. praepositiones, quae vim adverbii usurpant, substantivis conjungit. Conf. Cat. 23, 6: „invidia atque superbia post fuere". Hist. 1, 41, 6: „supplicia in post futuros". Jug. 76: „multo ante labore".

Quam audaciam maxime deberi exemplo Thucydidis, qui tales dictiones adamavit. (Legitur II, 114: „ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον" VI, 85: „ἡ αὐτίκα δουλεία" etc.) sunt qui contendant, nos vero hoc genus dicendi ab antiquorum (conf. Plaut. Capt. 34) imitatione, si qua statuitur, natam esse credimus.

Sequitur ut de casibus atque inprimis de accusativo dicamus. Sallustii maxime consuetudinis est verba, quorum objecta facile cogitando suppleri possunt, absolute ponere. Qui usus scriptoribus fere omnibus praeter Cassarem peculiaris est, ut sententiam Vechneri, qui luculeuter hac in re originem Graecam illustrari opinatur, jure reiciamus. Sufficiat igitur verba, quibus ita Sallustius utitur, commemorare. Vide: „invadere" (Cat. 2, 5. 10, 6. Jug. 41, 9) „incedere" (Cat. 7, 3. Jug. 13, 7. 41, 3. Cat. 13, 3) „degustare" (Cat. 22, 2). —

Similiter verbum „obtinere“ adhibetur, quod eandem significationem habet, atque vernaculum „eine Stellung behaupten“. Qua in interpretatione multi v. d. haeserunt. Krebsius (Autib. p. 546) optimos quidem scriptores vocem „obtinere“ nusquam absolute posuisse animadvertit. Quam sententiam quum nonnulli respicerent, ejusmodi licentiam, quam opinabantur ad Graecum „*κατέχειν*“ referre minime dubitaverunt. Sed fugit eos et Ciceronem et Livium verbo „obtinere“ simillimo modo atque Sallustium usos esse. Conf. Cic. Repub. 6, 17: „subter mediam fere regionem sol obtinet“ et Liv. 21, 46: „Malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et famā obtinuit“. Falso igitur de imitatione viri docti concluserunt. Idem de verbo „augere“ judicandum est. Habes Hist. 1, 51, 6: „ignoscundo populi Romani magnitudinem auxisse“. Hoc vocabulum pari fere ratione jam Catonem adhibuisse Gellius testatur. Conf. Att. N. 18, 12: „eo res eorum auxit“. Item verbum „convortere“. (Conf. Cat. 6, 7: „regium imperium in superbiam dominationemque convortit“) injuria revocatur ad Thucydidis exemplum. Conf. Thuc. III, 39: „*εἰωθὲ δὲ τῶν πόλεων, οἷς ἂν — εὐπραξία ἕλθῃ, εἰς ὕβριν τρέπειν*“. Nam vocem „convortere“ comicos jam ante Sallustium absolute usurpasse multis exemplis apparet. Quapropter si quid conceditur, hoc concedimus inde talem verbi vim in sermonem pedestrem abiisse: De verbo „mutare“ interpretes dissentiunt. Legitur Jug. 38: „qui mortis metu mutabant“. Quacum lectione Vechnerus Thucydidea II, 61: „*ὑμεῖς δὲ μεταβάλλετε*“ comparanda esse censet. Sed praeterquam quod codices Sallustiani mirum quantum hac ipsa in lectione dissentiunt, apud Livium similia exstant. Conf. Liv. 27, 35. 34, 49. In verbis reflexivo sensu positis etiam verbum „temperare“ numeratur. Conferas velim: Jug. 85, 9: „illis difficile est in potestatibus temperare“ et Cat. 11, 8: „ne illi corruptis moribus victoriae temperarent“, ubi rectisse Kritzius, victoriae temperare idem valere atque sibi in victoria temperare docuit. Haec verbi notio apud alios quoque scriptores haud infrequens invenitur. Conf. Tac. Hist. 3, 31 et Livius 2, 52: „in multa temperarunt tribuni“. Nihil igitur est, cur ad Graecos respiciamus. In eandem sententiam de verbo „gignere“ adducimur. Habes Jug. 79, 6: „loca aequalia et nuda gignentium“. Quem locum Poppo sic interpretatur, ut Sallustium verbo „gignere“ pari modo atque Thucydidem *φύεσθαι* vel *γίγνεσθαι* usum esse existimet. Hanc opinionem refellit Kritzius, qui monet „gignentia“ nihil aliud significare quam nos dicimus „organische Körper“. Ceterum adjectivum „nudum“ cum genetivo conjunctum invenimus apud Ovid. Met. 12, 512.

Restat ut de accusativo Graeco qui vocatur pauca exponamus. Cujus casus usum Vechnerus Graecorum imitationi tribuit et permulta affert exempla. Legitur Hist. 3, 74: Dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur“ Jug. 19, 7. Hist. 5, 6. Hist. 3, 7, alibi. Sed exemplorum multitudine sententia non exstat, probabilior. Etenim jam ante Sallustii aetatem tales structuras in consuetudinem venisse praeter cetera hi loci Plautini argumento sunt: Amphit. 519. etc. 5, 2, 70. Aul. 8, 2, 9. Thuc. 2, 7, 6. Non magis accusativi etymologici usus transmarinus putandus est. Nam et antiqui et Cicero (conf. de fin. 2, 29) eum admiserunt. Vides, quantum attinet ad accusativum, nihil repetendum esse ab Attico scriptore.

Dicendum nunc erit de Dativo. Inprimis memoratu digna locutio illa est, ubi Sallustius „mihi est aliquid volenti“ ponit pro „aliquid volo“. Conf. Jug. 84, 3: „neque plebi militia volenti putabatur. (Hanc lectionem — nam inter codices mira est dissensio. — Priscianus testatur haec adnotans: Graeci *βουλομένοις ἐστὶν ἡμῖν*) et Jug. 100, 4: „ut militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset“. Quae Sallustii structura, quam perpauci tantum solutae orationis scriptores admittunt (conf. Liv. 21, 80. Tac. Ann. 1, 59. Hist. 3, 43. Agric. 18) a consuetudine sermonis Latini adeo recedit, ut nisi ex imitandi studio explicari non possit. Ejus vero

constructionis omnium Graecorum amantissimus haud dubie fuit Thucydides, apud quem *βουλομένῳ εἶναι* saepius invenis. Vide II, 3. IV, 80. IV, 85. VII, 35. VIII, 92.

Item Thucydidis auctoritas in his verbis Sallustii perspicua est. Cat. 20, 3: „quia vobis eadem mihi bona malaque esse intellexi". Hanc lectionem offerunt Nazarianus et Commelianus codices teste Grutero, Monacensis teste Dietschio, Vaticanus quartus, alii. Kritzius pronomen „quae" excidisse putat. Cui Dietschius assentitur. Sed miramur, quod is vir doctissimus, qui codicis Nazariani praestantiam summis effert laudibus, in eam opinionem adducitur. Nam quum ipse Kritzius talem licentiam ex Graeco fluxisse concedat, defectum suspicari non licet. Quapropter quoniam ejus modi constructiones (nisi apud poëtas Horat ars. poët. 467. Serm. 1, 3, 122. Ovid. Amor. 1, 4, 1) nusquam invenimus, hujus rei Thucydidem, quippe quem Sallustius saepius sequeretur, auctorem fuisse coniciatur oportet. Conf. III, 64: *„ὑμεῖς δὲ τοῖς μὲν ταὐτὰ βουλόμενοι ποιεῖν, τοῖς δὲ τἀναντία"*.

Audacius porro Sallustius verbum „decēre" cum dativo conjungit. Conf. Hist. I, 98: „locum editiorem quam victoribus decebat, capit". Sed talem constructionem jam comici adhibuerunt. Conf. Plaut. Amph. 820. Pers. 213. Terent. Haut. 965. Ad. 491, 928. Aeque etiam Gerlachii aliorumque opinio refutanda est, qui haec verba referunt ad Graecos: Cat. 32 „insidias consuli maturarent" et paulo supra „quod neque insidiae consuli procedebant". Quo loco Dietschius vocabulum „intentae" a librariis omissum esse existimat. Quod admodum probabile non videtur. Nam nostra quidem sententia dativus non ex substantivo, sed ex verbo cum substantivo conjuncto pendet. Rectius adjectiva illa, quae substantivorum vi fungentia dativo subnectuntur, Graecis tribueris. Legimus Jug. 89, 5: „praeter oppido propinqua". Jug. 40, 2: „huic rogationi partim conscii sibi — impedimenta parabant". Cat. 21, 2: „alius alii tanti facinoris conscii" ubi Kritzius jure ita interpretatur: „Dativus, quo socii conscientiae non res quas conscientia complectitur, intelleguntur, haud dubie ad Graecae consuetudinis exemplum revocandus est pariter ut „Idem" cum dativo conjunctum".

Multo autem saepius adjectiva maxime neutrius generis cum genetivo conexa nobis occurrunt. Vide Jug. 48, 3: „humi arido atque arenoso". Jug. 21, 2: „dici extremum". Jug. 90, 1: „aestatis" extremum" Jug. 37, 4: „in praerupti montis extremo" Jug. 21, 2: „plerumque noctis" Hist. 2, 77: „dici medio". Jug. 102, 9: „pleraque humanarum rerum". Jug. 113, 3: „occulta pectoris". Hist. 2, 18: „laeva moenium". Hist. 2, 13: „cava terrae". Hist. 3, 61, 4: „certaminis advorsa".

Ejus modi dictiones apud Livium et Tacitum frequentissimae exstant neque antiqui et Cicero ab iis abhorrent. Nihil igitur de imitatione Thucydidea statui potest. Insolenter paulo S. adjectivis nonnullis, quae vulgo cum ablativo conjunguntur, genetivum subicit. Habes Jug. 79, 6: „loca nuda gignentium". Jug. 90, 1: „ager aridus et frugum vacuus". Cat. 5, 4: „sui profusus" 7, 6: „pecuniae liberales erant". Hist. 1, 106: „egregius militiae. Hist. 1. 115: „libertatis insuetus". Hist. 2, 81: „servitii insolutum". Hist. 4, 48: „insolens vera accipiundi". Hist. 2, 91, „frugum pabulique laetus ager". Quae licentia, quam Poppo non justis causis transmarinam dixit ne probae quidem Latinitatis scriptoribus est inusitata. Conf. Cic. Att. 2, 21. —

Haud raro genetivus apud Sallustium adverbis subnectitur. Legimus Cat. 6, 3: „sicut pleraque mortalium habentur", quam dicendi rationem Herzogius et Lawsius cum his verbis Graecis recte contulerunt: *„ὡς τὰ πλεῖστα τῶν ἀνητῶν ἔχει"*. Atque Lawsius Sallustii constructionem Graecam esse putat quia, praeterquam quod genetivus personae pendeat a neutro adjectivi, verbum „habentur" medialem vim sibi vindicaverit. Quae falso quidem exposita esse videntur, nam gene-

tivus non a neutro sed a tota sententia pendens cogitari debet. Utcunque autem res se habet, ejusmodi structuram ad Graecos conformatam esse certum est. Graecorum autem Thucydide nemo saepius ea usus est, apud quem habes: I, 36: „*καλῶς παράπλου κεῖται*". I, 22: „*ὡς ἑτέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι*" II, 90: *ὡς τάχους τις ἔχει*" VII, 54: „*ὡς ἕκαστος τῆς ξυντυχίας ἔσχεν*".

Atque inde repetimus Sallustii consuetudinem loquendi, qua comparativum gradum adjectivorum insolenter jungit cum praepositione. Conf. H. II, 88: „in majus more rumorum audivit". H. III, 64: „in majus componentem". J. 73, 4: „in majus celebrare". Qua in re Thucydidis auctoritatem conspicuam esse nemo est quin neget.

